



**Abdiae Praetorij Gotschalci De necessitate nouae obedientiae  
et bonorum operum. : Explicatio summaria continens  
perpetuam eius sententiam & doctrinam, scripta adolescenti  
cuidam petenti consilium eius.**

<https://hdl.handle.net/1874/456587>

V  
2  
**ABDIAE**  
**PRAETORII**  
**GOTSCHALCI.**

**DE**  
**NECESSITATE NO-**  
**VAE OBEDIENTIAE**  
**ET**  
**BONORVM OPE-**  
**RVM.**

**EXPLICATIO SUMMA,**  
tria continens perpetuam eius senten-  
tiam & doctrinam, scripta adoles-  
centi cuidam petenti con-  
filium eius.



---

M. D. LXII.

in consideration before entering into the  
same. It is also recommended that  
the same be done.

IXI-G-M

# ADMONI- TIONES QVAE DAM GENERALES.

**T**RIA SVNT HOMI-  
num de bonis operibus lo-  
quentium genera.

Alij nimirum eis tribu-  
unt, & plas tribuunt quam sacra scri-  
ptura. Ad istum ordinem pertinent  
Pharisei, Hypocritæ, Pelagiani, Pa-  
pistæ, Interimistæ & alijs, qui sequun-  
tur illos.

Alij adimunt nimirum, & adimunt  
hoc, quod tamen eis tribuit scriptura.  
Tales à recentioribus vocari solent  
Antinomi, sicut appellatio illa à mul-  
tis iam in hanc sententiam usurpatur.  
Ex veteribus vero fuerūt in hoc nu-  
mero Simon Magus, Pseudoaposto-  
li, Manichæi. Præterea pertinent huc  
Epicurei, securi, ociosi, ignavi, pro-  
phani, superbi. Tales solent inter-

A ij dum

dum vocari μιστεργόι ήγεγομάχοι, &  
merito sic vocantur.

Alij seruant medium, ita ut nec  
tribuant nimium nec adimant nimis-  
um, sed ita ut tribuant eis, quod scrip-  
ptura tribuit, & adimant eis, quod  
adimit scripture. Ad istum ordinem  
pertinent Orthodoxi, omnes videlicet  
Doctores pie & sincere docen-  
tes καὶ ὀρθοτομοῦντες τὸν λόγον τῆς & λη-  
θιαστ.

De his tribus ordinibus aut gra-  
dibus iudicari potest, cum ex alijs rea-  
bus tum ex his collationibus. Nam  
oportet hominem in hac materia vel  
hypocritam vel Epicureum vel ver-  
rum Christianum esse. Deinde ut il-  
lud quoque dicatur, in eadem materia  
oportet hominem esse vel Papistam  
vel Antinomum vel Lutheranum.  
Ac de Luthero constat, quod serua-  
uerit medium illam viam inter Anti-  
nomos & Papistas.

DE

# DE MATERIA NECESSITATIS.

**I**N disputatione verò de necessitate operum, quam tractant nonnulli ὁσκακοὶ μάγειροι καὶ ὁσκυνίδια τὸ ἄκρον, hæ potissimum tenendæ sunt Regulae vel Propositiones.

## I.

Rectissimè dicitur, Bona opera sunt necessaria, Noua obediēntia est necessaria.

**I**stæ locutiones consentiunt cum multis scripturæ testimonij, ex quibus præcipua sunt, Oportet obedire Deo, Acto. 5. Necessitate subditi estote, Rom. 13. Necessitas mihi incumbit, ut Euangelizem, I. Corin. 9. Pacientia est vobis necessaria. Ebre. 10. Abstinere à fornicatione est necessarium. Actor. 15. Debitores sumus. Rom. 8. Serui facti estis iustis.

A ij tia.

tiæ Rom. 6. Debemus alterutrum diligere. 1. Ioh. 4. Deinde receptæ sunt etiam locutiones istæ in Ecclesiam & reperiuntur in multis scriptoribus & præcipue in Confessione Augustana & Apologіa, in Luthero, Melanthone, & alijs quamplurimis. In Augustana Confessione septies circiter partim ijsdem verbis partim equipollentibus inculcatur. In Luthero & Melanthone creberrima sunt Exempla, quæ, si opus est, monstrari facilime possunt. Concurrunt & aliæ rationes, de quibus dici solet in integris descriptionibus.

## II.

Rectissimè dicitur, Bona opera sunt necessaria tanquam res à Deo mandata.

Item necessaria sunt tanquam res debita Deo ratione remissionis peccatorum, acceptationis & adoptionis, tanquam exercitium gratitudinis, tanquam

quam Exemplum obedientiae filij erga patrem. Deinde necessaria sunt à posteriori. Præterea necessaria sunt sicut effectus fidei & salutis, sicut testimonia fidei & salutis, sicut pars pœnitentiae. Item, tanquam res, quæ debet sequi, sicut effectus sequitur causam, bonus fructus bonam arborem, umbra corpus, fumus ignem, lux solem. Item necessaria sunt ad gloriam Dei, ad utilitatem proximi, ad testificationem vel declarationem fidei & salutis. Item necessaria sunt ad integratem totius pœnitentiae & Christianæ vitae, ad exercitia dilectionis, ad distinctionem renatorum & non renatorum, ad certam faciendam vocationem, ad id, ut fides & Spiritus sanctus non excutiantur, ad id, ut conscientia non vulneretur, ad consecutionem præmiorum, quæ Deus promisit bonis operibus, ad vitationem pœnarum, ad conseruationem publicæ tranquillitatis. De his regulis loquuntur hæc dicta: Luceat lux vestra coram

coram hominibus , vt videant opera  
vestra bona & glorificant patrem ve-  
strū, qui in cœlis est. Matth. 9. Facite  
fructus pœnitentia dignos. Lucæ 3.  
In hoc cognoscet, quod sitis mei di-  
scipuli, si diligatis vos inuicem. Ioh.  
13. A fructibus eorum cognoscetis  
eos. Matth. 7. Repellentes bonam  
conscientiam circa fidem nanfragis-  
um fecerunt, inter quos sunt Alexan-  
der & Hymenæus , quos tradidi Sa-  
tanæ , 1. Tím. 1. Conditi sumus ad  
opera bona in Christo, Eph. 2. Cōuer-  
tationē inter Gentes habete bonam,  
vt in eo , quod detrectant vobis tan-  
quam malefactoribus , ex bonis ope-  
ribus vos considerantes glorificant  
Deum, in die visitationis, 1. Pet. 2. In  
hanc sententiam extant etiam locu-  
tiones quædam in scriptis piorum &  
orthodoxorum.

### III.

Non recte dicitur , Bona opera  
sunt necessaria ad salutem.

Nam

Nam ista locutio non consentit  
cum sacra scriptura: imo pugnat cum  
ea, sicut apparet ex his dictis: Non  
ex operibus iustitiae, quæ fecimus, sed  
secundum misericordiam suam saluos  
nos fecit, ad Tit. z. Gratia saluati estis  
per fidem, & hoc non ex vobis. Dei  
enim donum est, non ex operibus,  
ne quis glorietur, Ephe. z. Deinde  
non est recepta illa locutio in Ecclesiam  
sed potius explosa. Præterea est  
Papistica & Interimistica. Item tales  
formæ loquendi continent sententiam  
de causis: sed opera bona habent  
se ad salutem non ut causa verum ut  
effectus. Eadem etiam locutio est  
valde periculosa conscientijs & præ-  
bet materiam dubitationibus. Item  
cōtinet in se sententiā aliquā de me-  
rito salutis. Postremò est ambigua &  
flexiloqua. Et si autem potest addi mi-  
tigatio de salute declaranda, tamen  
oportet vitare ambiguities, scopus  
los & labyrinthos, præsertim cum in-  
cidant aliæ etiam accommodationes

A v de

de salute impetranda & retinenda.  
Eatenus ex una parte posset mitigari  
& ex durabus esset impia & periculosa.

### III.

Non recte dicitur, Bona opera  
sunt necessaria ad salutem im-  
petrandam.

Id manifeste pugnat cum sacra  
scriptura, sicut apparet ex præceden-  
tibus dictis. Idem est manifeste blas-  
phemum in filium Dei: Est Papisti-  
cum, Pharisaicum, Iudaicum & Eth-  
nicum: Est coniunctum cum multis  
periculis & absurditatibus.

### V.

Non propriè dicitur, Bona opes  
sunt necessaria ad retinendam  
fidem & salutem.

Ad hanc materiam solent illa ac-  
commodari dicta: Virtute Dei cu-  
stodis

stodimini, I. Pet. I. Qui cœpit in vo-  
bis, ille perficiet, Phi. I. Præterea tal-  
les locutiones continent in se senten-  
tiam vel significationē de vivo actu  
retentionis. Item pertinent ad cau-  
sas instrumentales in materia salutis:  
Sed opera bona non sunt in illa mate-  
ria causa instrumentalis. Postremo  
locutio ista coniuncta est cum multis  
absurditatibus: quia sequeretur inde,  
quod conseruatio salutis penderet ex  
dignitate obedientiæ imperfectæ &  
coniunctæ adhuc cum vetere Ada-  
mo: Ea ratione fieret salus incerta:  
Ea ratione effectui tribueretur, quod  
conseruaret causam: fructibus tribu-  
eretur, quod conseruarent arborem,  
vnde processerunt: fumo tribueret-  
ur, quod conseruaret ignem: vmbra-  
bræ, quod corpus: luci, quod solem.  
Interdum tamen reperitur illa forma  
apud probatos et receptos scriptores,  
sed in talibus opus est candida inter-  
pretatione: Et potest interpretatio  
fieri de impedimento excussionis, ut  
sit

sit sententia, Retinent salutem, non quod habeat vim talem, sed quia profundunt eum, ut non excutiantur fides & Spiritus sanctus. Eatenus congruit illa sententia cum Pauli dicto: Militia bonam militiam, retinens fidem & bonam conscientiam, quam quidem repellentes circa fidem naufragium fecerunt. Ita probatis autoribus dominatur interdum aliquid, quod suspeccatis & periculosis concedi nec debet nec potest. Sed semper tamen servandum est discrimin locutionum propriarum & impropriarum: Et semper etiam studendum est proprietati omissis improprietatibus, quantum fieri potest, praesertim in docendo & materijs magni momenti.

## VI.

Rectissime dicitur, Bona opera sunt necessaria ad testificaciu-  
nem vel declarationem fidei &  
salutis, ad declarandam fidem &  
salutem.

Ad

**A**d hanc materiam solent accōmodari hæc dicta, Facite fructus pœnitentia dignos: Lucæ 3. Luceat lux vestra coram hominibus, vt videant opera vestra bona, Matth. 5. In hoc cognoscēt, quòd sitis mei discipuli, si diligatis inuicem, Ioh. 13. Item Ro. 10. Ore fit confessio ad salutem, scis licet declarandam, sicut Lutherus est interpretatus. Item ea forma locutio[n]is usurpatur cum apud alios tum apud Lutherum in disputationib[us] quibusdam, contra Antinomos. Deinde continet utilem commonefactiōnem de uno aliquo bonorum operum fine. Præterea prodest ad vitationes multarum absurditatum: quia alioqui sequeretur, quòd non esset opus declaratiōe fidei & salutis: quòd posset aliquis esse Christianus, etiam si nunquam ficeret fructus: quòd posset aliquis habere veram fidem etiam sine fructibus sequentibus: quòd posset arbor esse bona sine fructibus bonis.

DE

# DE TRACTATIONE BONORVM OPE- RVM.

**Q**uæres fortasse utrum doctrina  
na illa sit inculcanda, utrum  
debeat proponi, tractari, ac in  
scholis & Ecclesijs sonare. Ea certè  
de re apud pios, eruditos & sapientes  
nullæ sunt dubitationes. Nam certum  
est, quod sit pars scripturæ, pars do-  
ctrinæ cœlestis, pars verbi Diuinij,  
pars corporis doctrinæ. Item est ad-  
monitio de vita Christiana, de iusti-  
tia bonæ conscientiæ, de dilectione  
Dei & proximi, de disciplina inter-  
na & externa. Quid quod in tota  
scriptura sacra nullus sit liber, ubi vel  
non fiat admonitio de operibus bo-  
nis, vel exemplum aliquod illorum non  
proponatur? Ac de Paulo præcipue  
constat, quod in omnibus Epistolis  
ad opera bona hortetur, & quod sem-  
per doctrinæ de iustificatione sub-  
iungat doctrinam de bonis operibus,  
sicut

sicut adparet ex Epistola ad Romanos & ad Ebraeos. Qui hoc non intelligit, iste summam doctrinæ non intelligit: Qui negat hoc, is negat partem sacræ scripturæ, is tollit partem verbi diuini ex Ecclesia. Sed illud est & hæreticum & blasphemum.

At ubi debet inculcari? Primum, Vbicunq; textus scripturæ uel aliorum scriptorum occasionem præbet & requirere videtur. Deinde si cubi aliæ circumstantiæ rerum & actionum humanarum expetere & efflagitare videntur. Eatenus ferè semper est opus istiusmodi admonitionibus, sicut perpetua pœnitentiæ prædicatione est opus. Nec potest ea de re nimium dici, si modò rectè dicatur, cum non tantum errores hominum, verum etiam delicta magis magisq; in hac delira mundi senecta cumulentur.

Quomodo vero debet de eadis dicere? Et quomodo tractatur rectè & piè? Primum, discerni & separari  
debet

debet à reliquis pœnitentiæ partibus, contritione videlicet & fide, sicut alioqui ab illis sua natura differt. Secundò separari debet ab articulo iustificationis, ita ut non referatur ad materiam de causis iustificationis. Nam sicut à fide ita etiam à iustificatione differt, cum fides sit instrumentalis causa iustificationis, qua videlicet apprehenditur & acceptatur promissio et in promissione remissio peccatorum. Tertiò, ut insuis terminis & limitibus contineatur ac tradatur, ut res, quæ necessariò iustitiam fidei sequi debet. Postremò, ut in enarratione vel tractatione seruetur usitata doctrina congruens cum sacra scriptura, cum Confessione Augustana & Apologia, cum scriptis Lutheri, Melanthonis & aliorum. Orthodoxorum.

Sic igitur de bonis operibus so*lo* iudicare & sentire & loqui & docere debes. Hoc modo nec ad dextram nec ad sinistram declinas.

Si quis

Sí quis autem vel tibi vel alijs ita  
se explicantibus fidem habere non  
vult, ab isto sedulò tibi caueas : quia  
ex abundantia cordis os loquitur.  
Tales ex suo ingenio iudicant de ca-  
teris : Tales ipso Christo volunt esse  
sapientiores, qui dicit, Ex verbis tuis  
iustificaberis & condemnaberis: Ta-  
les non sunt viri verè boni, sed potius  
ἄγριοι λόχοι, insidiatores, machinato-  
res, delatores, carnifices & oppresso-  
res orthodoxorum : Tales digni es-  
sent, qui cum Diabolis potius quam  
cum p̄s versarentur , vt illis potius  
crederent, eum his explicate loquen-  
tibus fidem habere non volunt.

Sí quis etiam aliter docuerit, ei  
vt fidem habeas, adeo non est necesse,  
vt multò magis ad vitandam sis obli-  
gatus , sicut scriptum est , Cauete à  
Pseudoprophetis, qui veniunt ad vos  
in vestimentis onium , intrinsecus  
autem sunt lupi rapaces: Si noluerit  
audire , sit tibi tanquam Ethnicus &  
B publicas

publicanus : H̄ereticum hominem  
post vnam aut alteram admonitio-  
nem deuita.

H̄ec est mea Abdiæ Prætorij  
de ista materia sententia & doctrina,  
quam in meis explicationibus sem-  
per auditoribus meis inculcaui, non  
tantum h̄ic in Academia Francofor-  
diana, verum etiam in schola Parthe-  
nopæa & alijs locis. Id testor hoc  
meo Chirographo & facio testes  
meos auditores, quicunq; candidè  
me audiuerunt. Ac oro Deum, ut in  
agnita veritate me regat & tueatur.

Scriptum Francofordiæ, Anno  
1561. 27. Iulij.

SEQVNTVR TESTI-  
monia ex Confessione Au-  
gustana & Apos-  
tolon i.e.: logia.  
Ex

# EX CONFESSIONE AVGVSTANA.

88

## ARTICVLO VI.

**E**cclesiæ apud nos magno consensu docent, quod, cum fide re conciliatur, necessario sequi debeat iusticia bonorum operum, quæ Deus nobis mandavit.

## ARTICVLO XI.

**D**inde sequi debent ( s. contradictionem & fidem ) boni fructus pœnitentiæ, hoc est, obedientia erga Deum, iuxta illud, Debitores sumus non carni, ut secundum carnem vivamus. Si enim secundum Bñ carnem

carnem viuetis , moriemini . Sed si  
spiritu actiones corporis mortifica-  
bitis, viuetis.

## ARTICVLO XVI.

**C**hristiani necessariò debet obe-  
dire præsentibus Magistratibus  
ac legibus , nisi cum iubent pec-  
care. Tunc enim magis debent obe-  
dire Deo quām hominibus.

## ARTICVLO XVII.

**S**imiliter , quod pīj debeat obedire  
præsentibus Magistratibus.

## ARTICVLO XX.

**V**m necessariam de fide doctri-  
nam & consolationem Ecclesijs  
proponimus , additur &c doctri-  
na de

na de bonis operibus, Quòd videlicet necessaria sit in reconciliatiis obedientia erga legem Dei, Nam Euangelium concionatur de noua vita, iuxta illud, Dabo legem meam in cordibus eorum. Hæc igitur noua vita debet esse obedientia erga Deum.

### IBIDEM.

**D**ebet in nobis obedientia erga Deum & noua vita crescere, sicut Paulus docet, renouari nos debere ad agnitionem Dei, ut efficiatur in nobis noua lux & imago eius, qui condidit nos.

### IBIDEM.

**Q**uanquam igitur hæc noua obedientia procul abest à perfectione legis, tamen est iustitia & meretur præmia, ideo, quia personæ reconciliatæ sunt.

B ij Ibi

IBIDEM.

**A**Tq; ita de operibus iudicandū est, quæ quidem amplissimis laudibus ornanda sunt, quod sint necessaria, quod sint cultus Dei & sacrificia spiritualia.

EX APOLOGIA CONFES-  
SIONIS C. DE DI-  
lectione.

**O**Portet legem in nobis inchoari & magis magis fieri.

IBIDEM.

**P**Rofitemur igitur, quod necesse sit inchoari in nobis & subinde magis magis fieri legem: Et complectimur simul utrumq;, vide licet

licet spirituales motus & externa bona opera. Falso igitur calumnian-  
tur nos aduersarij, quod nostri non doceant bona opera, cum ea non so-  
lum requirant, sed etiam ostendant,  
quomodo ea fieri possint.

### IBIDEM.

**S**icut non accipimus remissionem  
peccatorum per alias virtutes le-  
gis, seu propter eas, videlicet pro-  
pter patientiam, castitatem, obediens-  
tiam erga Magistratus, Et tamen has  
virtutes sequi oportet, Ita neq; pro-  
pter dilectionem Dei accipimus re-  
missionem peccatorum : Etsi sequi  
eam necesse est.

### IBIDEM.

**N**ecessitatem operarum  
virtutes legis, quatenus  
obedient legi, sunt iusticia.

DE CON-  
FESSIONE AV-  
GVSTANA ET APOLO-  
gia eius iudicium & testimoniu[m] Lu-  
theri, in Epistola ad Franco-  
fordenses ad Moe-  
num.

**L**Sist nu für alle welt  
kommen/die herrliche  
Confession vnd Apolo-  
logia / so für Rey. Ma.  
zu Augspurg von vielen  
der höchsten Stenden des  
Römischen Reichs frey  
bekandt

bekandt vnd erhalten.  
Darin auch die Papi-  
sten / ob sie vns wol vber  
alle mass gehass findet/  
dennnoch keiner Schwer-  
mer Artickel könne schuld  
geben. Wir haben nicht  
nunnum gesetzt / noch  
unter dem Hütlin gespie-  
let/ sondern da stehen  
unsere helle freye  
wort/  
On alles tunckel vnd  
mausen.

A 2099146  
ocn 66478692

ERPHORDIAE  
GEORGIVS BAVVMAN  
EXCVDEBAT IVX.  
TA TEMPLVM  
S. PAVLI.

